




IN NATALEM
SERENISSIMI PRINCIPIS
BRITANNIÆ DUCIS

H. J. 77.
(21)

DIALOGUS
GALLIÆ ET HISPANIÆ.



Rato munere Cœlitum
Prolem stirpe satam Borboniâ, dies

Ut primùm incipere aureos
Vidit cincta caput Gallia liliis,

Et Parcas famulâ manu
Duratura diu stamina ducere ;

Festinans propero pede
(Promptam fecit amor) non revocabili



Junctam fœdere Iberiam
 Visit lætitiæ nuncia mutua.
 Præbet colloquio locum
 Pyrene Hesperiiis Gallica dividens
 Quondam Regna, adamantinis
 Sed nunc confocians utraque nexibus.
 Servat quæque suas vices
 Alternis referens gaudia vocibus.

GAL. Et te festa dies juvat,
 De nostris opibus dives Iberia,
 Auctam quâ LODOIX domum
 Felicemque novâ progenie videt.

HISP. Et me festa dies juvat
 Quæ ditem Hesperiam munere de tuo
 Æternum beat, & meum
 Quæ Regem folio firmius inserit.

GAL. Felix illa nitet dies,
 Quâ Delphinus Avi, & Patris amabile
 Burgundus superum favor,
 Ac nomen Proavi quâ LODOIX habet.

HISP. Felix illa nitet dies,
 Quâ tandem mihi fas dicere; quem sinu

Fido servat Iberia,

Hunc nunquam repetet Gallia Principem.

GAL. Festis non sine plausibus

Nascentem gremio Liber in hospite

Suscepit Puerum, igneos

Cum læto insinuans nectare spiritus.

HISP. Festis non sine plausibus

Victorem Patrum per medias neces

Curru sustulit alite

Addicta Hesperio Gloria militi.

GAL. Vultu, fronte, oculis Puer

Est Matri similis, blandus & aspici.

Vultum, frontem, oculos suâ

Finxisse Euphrosynen credideris manu.

HISP. Hic reddit Patrum decor.

Quo cogit dociles volvere aquas Tagum;

Quo terretur Olyssipo,

Hoc se se ore suis præbet amabilem.

GAL. Pulchro in corpore vivida

Mens regnat Pueri, quam studio pari

Mavors destinat asperis,

Pallas pacificis consecrat artibus.

HISP. Olim quantus erit, Patrem
Si reddat, vel Avum, vel Proavum, Puer!

Vivet Palladis æmulus,
Nec se Belligerum, Marte minor, feret.

GAL. O grata Hesperia omnia!
Tu prolem quoque, Dîs auxiliantibus,

Expectes tibi masculam,
Hunc laudi adjicient Dî cumulum tuæ.

HISP. O grata omnia Gallia!
Spectabit LODOIX, quondam Atavus, suâ

Quartam progeniem in domo;
Hunc laudi adjicient Dî cumulum tuæ.

J. B. DU HALDE S. J.

